



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. lactantia militaris sordet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

culi victori, spectatoribusque certaminis, inter quos Theseus & Pirithous, & praevidite cornu mensas secundas apposuit. Achelous truncato cornu jam modestior & nativam iam formam reversus (fluvium scilicet) sub undas in domicilium suum se retulit, inhonori capitis foeditatem corona salignâ, aut arundinea occultaturus.

Ethica.

I. (a) Acheloo convitijs magis, quam viribus Herculem provocanti, respondit heros:

----- melior mihi dextera lingua:

Dummodo pugnando superem; tu vince loquendo.

Rectè, & fortiter. Sic etiam Turnus respondit Dranci, homini gloriabundo, & cœlum armis territanti. II. Æneid.

Larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi;

Tum, cum bella manus poscunt, patribusque vocatis

Primus ades: sed non replenda est curia verbis,

Quæ tutò tibi magna volant.

Et ibidem. ----- tibi Mavors

Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis.

Suida *ἀγὼς*. Mars, dicitur *ἀπὸ τῆς ῥῆσιν* dico. Et à privante: id est, sine diètib. In bello namque opus est factis, non verbis. Inde Homerus. 16. Iliad.

ἢ τι κερὶ μῆδον ὀφείδειν, ἀλλὰ μάχεσθαι

Nihil opus est verba augere, sed pugnare.

Unde laus illa Jugurthæ apud Sallustium: *Plurimum facere, & minimum ipse de se loqui*, scilicet solebat. Nihil odiosius præsertim in milite, quam lingua ostentatrix, juxta veterem jambum:

Bellator ore, re ferè ignavum pecus.

Talis fuit Thraso, miles ille gloriosus Pyropogopolinices apud Plautum, qui gloriabatur clypeum se gestare sole clariorem: qui totas regiones uno diffabat spiritu: qui lancea perforabat cœlum, & sidera in pallorem ac metum dabat. Ita tumentem, magis etiam inflavit Artotrogus parasitus; adeò ut ad auram à Sycophanta factam, os atque nares instar bubali diduceret Pyropogopolinices. Non absimilis huic jactatori miles ille, qui rogatus à Duce genus & originem: Bellona, inquit, me genuit: Mars lustravit infantem: victoria nutrix fovit si-

nu:

(a) *laçantia militaris sordet.*

nu: cadentem de matre clypeo excepit; vix auras traxi, & jam vagitum, allisi umbonibus. Vah thraſonicè. Qui ſapit, heroëm ostendet potiùs provocatus, quàm ut jactet illaudatus. Acheloo cornua ſuperbiùs efferenti, decuſſit Hercules, docuitque Martem in manu, non in lingua geſtandum.

II. (b) Hic nota, cum audacia ſæpius contumeliòſam & jactabundam linguam eſſe conjunctam; audaciam verò oriri vel ex inſcitia & ſtupiditate, ut quis virium ſuarum debilitatem aut præſentis periculi magnitudinem non cognoſcat; vel ex faſtu, quò alios ferociter deſpicit, quaſi nulla ratione ſibi pares, vel ex inani gloriæ cupiditate, cum quis neſcio cuius leviuſculæ auræ rumoribus excitatus ad ſtipendium vanitatis promendum, vitæ amorem calcat, & falſò fortitudinis nomen ac exiſtimationem aucupatur, cum tamen intus timoribus agatur. Ariſtoteles *Ἐξοδελον*, id eſt, audaciam timidam vocat; talis enim antequam res urgeat, præproperus eſt & inſolens; in pugna verò tardior; cum contra viri fortes initio ſeduli ſint, & in iſtis factis aeres & celeres; cuius rei exemplum neſcio an expreſſius reperias, quàm Xerxis Perſarum regis, qui primus in fuga ſemper fuit; ſicubi verò metus abeſſet, inflatus adeò, quaſi naturæ dominus, ante belli experimentum montes in planum deduceret, convexa vallium æquaret, & maria pontibus ſterneret. Timiditatis eius, quòd Valerius teſtatur, Iepus erat ſignum, equæ partu editus tunc, cum adverſus Græcos innumerabilem exercitum duceret, mare claſſibus, terram pedeſtribus copiis operiret, unaque denique ſcaphâ turpiter ſalutem in fuga quæreret. lib. I. c. 77. Adde multis temeritatem & Acheloi cornua fiducia artis magicæ creſcere, qua præſidentes ſperant ſe adverſus omnium telorum icſtus, induratos & invulneratos fore, exemplo Acheloi ſpecie ſerpentis è manibus Herculis elabentis, & repente taurum induentis. Sed fruſtra. Superbiam & ferociam egregiè domuit antagoniſta, dum fracto deformem & lacerum cornu ſpectantibus riſum ac ludibrium fecit. Thraſonicam Acheloi oſtentationem ſatis illa declarant:

----- Dominum me cernis aquarum.

Sarcaſmos verò & criminationem:

Jupiter aut falſus pater eſt: aut crimine verus.

Exprobrando ſcilicet Alcidi natales ſuos. Vbi vides genium expreſſum hominis ſtolidè ferocientis; ſed ubi vires adverſarij expertus eſt, effugium à timore & anguinea lubricitate petentis, terræque irrepentis.

Per

(b) Audacia temeraria & timida.